

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Stephani Balvzii Miscellaneorvm Liber ... Hoc est,  
Collectio Vetervm monumentorum, quæ hactenus  
latuerant in varijs codicibus ac bibliothecis**

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1679**

Præceptum Ludovici Regis quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani  
Lugdunensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14735**

Data XII. Kalendas Iulij anno Christo propitio  
v. imperante Domino nostro serenissimo Karolo Im-  
peratore Augusto, in Francia verò anno imperij ejus  
primo.

Actum Stirpiaco villa in Dei nomine, Indictione  
tertia.

*P R A E C E P T U M L V D O V I C I*

*Regis quod fecit Ecclesiæ sancti Stephani  
Lugdunensis, & dicit quod Colonicas & Fi-  
stiliacum & Caduliacum villas, quæ sunt  
in mandamento de castro Virevo, in pago  
Salmoriacensi sunt & in episcopatu Gratia-  
nopolitano.*

**I**N nomine sanctæ & individuæ Trinitatis. Ludo-  
vicus divina ordinante providentia Rex. Si fide-  
lium nostrorum sanis justisque petitionibus aurem  
nostræ serenitatis accommodamus, eorumque utili-  
tibus præstanto subvenimus, regiæ dignitatis ope-  
ram damus, & ob id eorum animos nostræ fidelitati  
promptiores immo ferventiores exhibemus. Itaque  
notum sit omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ ac  
nostris præsentibus atque futuris quoniam depreca-  
tione & hortatu sive consilio gloriosissimæ genitricis  
nostræ Hermengardis & pro sincerissimo Aurelianii  
didascalii nostri obsequio concessimus Ecclesiæ bea-  
tissimi protomartyris Stephani Lugdunensis, cui  
idem venerabilis Aurelianus Archiepiscopus præesse  
dinoscit, Ecclesiæ villasque cum omnibus ad eas  
pertinentibus in pago Lugdunensi sitas, ut ipse bea-  
tissimus protomartyr pro nobis & pro nostris geni-  
toribus ac avis & proavis intervenire dignetur, vi-  
delicet foris murum ipsius civitatis Ecclesiam sancti

Anno Christi  
892.

Laurentij cum beneficiolo ad ipsam pertinente, cis  
Arari verò abbatiam sancti Martini quæ Athanacu-  
vocatur cum omnibus sub integritate ad ipsam abba-  
tiā pertinentibus, Genoliacum quoque cum portu  
& mercato habentem capellam & mansos inter vesti-  
tos & absos xxxiiii. cum omnibus ad se pertinen-  
tibus, Dagniacum etiam habentem capellam & in-  
ter absos & vestitos mansos triginta cum omnibus  
quæ ad eam aspiciunt. Contulimus quoque Eccle-  
siam sancti Hyrenei ad stipendia Canonicorum ibi-  
dem servientium pro æterna remuneratione, in Lu-  
perciaco mansos tres, in Viliaco mansum unum, in  
Monte mansos duos, in Cabanniaco mansos duos.  
Volumus quoque ad gloriosissimæ genitricis nostra  
votum præcepta à nostris statuta avis & proavis,  
piissimis videlicet Imperatoribus Augustis Lothario,  
Ludovico, atque Karolo, eorumque filiis & nepo-  
tibus Regibus, necnon & consobrino nostro Ludo-  
vico, regiæ nostræ auctoritatis isto videlicet confir-  
mare. In pago scilicet Lugdunensi Nantoadense mo-  
nasterium & Saviniacense cum suis omnibus appen-  
diciis, & in eodem pago immunitatem villæ urbanæ  
juxta civitatem, & Ansam villam in usus fratrum,  
Acausaniū, Caliseum quoque, & Cortennacum,  
& villam Egeriam, vicinque Ambariacum, atque  
Beliacum, Lupertiacum etiam & Cocciacum, cum  
earum appendiciis & familiis utriusque sexus. In pa-  
go Vienensis villam Turnonē, & Liviam & Lucen-  
nactum cum integratibus suis. In pago autem Va-  
leniaco Saciacum villam. In pago autem Salmoria-  
ensi & Gratianopolitano Colonicas, & Fistiliacum,  
Cadtiliacum villas, cum suis pertinentiis. In comi-  
tatu Scutiacensi Morgas villam cum immunitate &  
appendiciis suis. In pago verò Brionensi Pisniacum  
villam cum omni integritate. In pago namque Au-  
gustudunensi Candiacum villam cum suis appendi-

eiis. In pago etiam Belnenſi Polmarcum villam cum integritate sua. Et in comitatu Portuensi Flaviacum & Pocetum villas cum omnibus appendiciis suis. In pago namque Cavilonensi Montaurum villam & Villare atque Scovellam cum suis appendiciis. In pago verò Bassiniacensi Ramsonarias cum suis appendiciis. Volumus ergo, ut suprà diximus, ut quæ ibidem ab antecessoribus nostris jandictis aut largita sunt aut reddita, seu ab aliis cuiuscunque ordinis viris collata sunt, vel deinceps Deo propitio conferentur, sub nostra immunitate firma & stabilia perseverent. Præcipientes ergo jubemus & jubendo præcipimus ut nullus judex publicus vel quislibet ex judicaria potestate in Ecclesiastis aut loca vel agros seu reliquas possessiones memoratae Ecclesiæ, quas moderno tempore infra ditionem regni nostri legaliter possidet, vel quæ deinceps in jure ipsius divina voluerit pietas augeri, ad causas audiendas, aut feda exigenda, vel mansiones aut paratas faciendas, vel fidejussiones tollendos, aut homines ipsius Ecclesiæ extra rationem disstringendos, nec ulla redhibitiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi andeat, vel quæ suprà memorata sunt penitus exigere præsumat; sed liceat memorato Archiepiscopo finisque successoribus res suprà memoratae Ecclesiæ quieto ordine possidere & nobis fideliter deservire, & pro nobis ac gloriofissima genitrice & pro totius regni nostri stabilitate non negligant exorare. Ut autem hæc nostræ munificentia auctoritas semper in Dei nomine obtineat firmitatem, manu nostra subter firmavimus, & anuli nostri impressione insigniri jussimus.

Signum Ludovici serenissimi Regis.

Vvarimalus Notarius advicem Barnoini recognovit.

Data x v. Kal Aprilis anno dominicæ incarnationis

156 MISCELLANEOVM  
nis D C C C X C I I . & eodem Christo propitio reg-  
nante domno nostro Ludovico anno secundo in Bur-  
gundia seu Provincia, Indictione x.

Aetum Lugduni civitate in Dei nomine feliciter.  
Amen.

---

P R A E C E P T U M L V D O V I C I  
Regis quod facit Ysaac Gratianopolitano  
Episcopo & successoribus ejus.

Anno Christi  
1564.

**I**N nomine sanctæ & individuæ trinitatis. Lu-  
dovicus divina ordinante providentia Rex. Di-  
gnus est ut regalis sublimitas procerum suorum pe-  
titionibus annuat & annuendo adimpleat , quanto eos  
viderit in suis obsequiis persistere efficaces. Idcirco  
omnium fidelium sanctæ Dei Ecclesiæ regnique no-  
stri , nostrorum videlicet & futurorum Regum , no-  
verit solertia quia domina genitrix nostra Hirmin-  
gardis Regina nostram regalem experti clementiam  
super quodam fideli nostro Ysahac venerabili Epis-  
copo , ut præceptum vel donum quod pius genitor  
noster Boso Rex fecerat de Ecclesiis sanctæ Mariæ  
seu sancti Donati confessoris eximij cum suis spiri-  
tualibus obsequiis confirmaremus. Est autem ipsa  
Ecclesia sita in comitatu Viennensi , in vico Iovin-  
ziaco. Cujus nos precibus annuentes unà cum Epis-  
copis , Comitibus , seu nonnullis regiminis nostri  
Principibus , stabilitatis præceptum sancimus ut  
ipse Ysahac ejusque successores nullo contradicente  
in prædicta Ecclesia cum omni ejusdem loci clero  
teneant possideant omnes virtutes quas mater Eccle-  
sia perpetim videtur habere in omnibus ecclesiasticis  
ordinibus , chrisma videlicet in Domini cœna bene-  
dicendo , pœnitentiam peccatoribus dando , eicien-